

## CAPUT III.

## DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM.

**353.** In societate domestica, uxor marito subdita sit oportet, ut tum e naturali ipsius condicione, tum e christiana doctrina liquet. Cfr. Eph. V, 22 : " Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino : quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae. " Attamen, propter artissimam conjunctionem qua fiunt una caro (Gen. II, 24), maritus uxori praeesse debet, non sicut servae, sed sicut sociae et commembro. Immo, quoad debitum conjugale et mutuum vitae adjutorium, paria sunt utriusque jura. Cfr. Vol. II. n. 552 seqq.

Pleraque conjugum officia patebunt e tr. de Matrimonio ; quae vero ad bona temporalia spectant, in tr. de Just. et J. necnon in tr. de Contr. elucidantur. Hic ergo pauca tantum recensebimus quae alibi propriam sedem non habent et magis ad quartum praeceptum spectant.

**I. Uxor** graviter peccat (Bus. ap. S. Alph. n. 351) :

1° Si maritum rixis vel aliter verbis ad gravem iram vel blasphemiam provocet.

2° Si, viro spreto, notabiliter inoboediens sit, et ipsa velit gubernare : sic enim jus mariti invadit. Attamen, ubi deest contemptus seu contumacia, leviter tantum peccat, quia parere debet tantum ut socia, non ut ancilla. (Salmant. tr. 24. n. 58) Immo etiam omni peccato immunis erit, si omittet ea quae maritus rationabiliter, spectatis familiae condicione et locorum consuetudine, exigere nequit, ut si peteret a femina honestioris condicionis obsequia vilia, ex. gr. coquere cibos, domum verrere et similia quae ab hujusmodi feminis exerceri non solent. (S. Alph. n. 352) Talia exigere posset tantum si inopia, in quam deciderint, ea necessaria redderet.

3° Si *absque justa causa* se in administrationem domus ingerat, non adjuvantis, sed dominantis modo. Justa causa foret : si maritus prodigus bona familiae dilapidaret, si esset incurius vel ineptus ad familiam gubernandam, etc. (Ball. P. n. 60)

**II. Maritus** peccat graviter (Bus. ap. S. Alph. n. 356) :

1° Si verbis contumeliosis vel infamatoriis afficiat uxorem.

2° Si impediatur illam circa praecepta Dei vel Ecclesiae, sine justa causa ; si vero impediatur, etiam sine causa, circa ea bona quae consilii

tantum sunt, ut est confessio, communio, etc. communiter tantum peccat venialiter, nisi constet quod magnum ex iis utilitatem percipiat.

3° Si caedat graviter : moderate tamen castigare verbis vel etiam, ex gravi causa, moderatis verberibus, habita ratione condicionis et status, quandoque potest.

4° Si alimenta neget, nisi tamen uxor a consortio mariti propria culpa discesserit vel, ut addit S. Alph. (l. c.), nisi adulterium commiserit.

5° Si neglegat gubernationem domus et rem familiarem.

## CAPUT IV.

## DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM.

**354. NOTIONES.** Nomine generico *famulorum* a DD. designari solet triplex hominum species, quorum alii aliis strictius alligantur illi qui, sensu etiam tripliciter diverso, *dominus* vel *herus* nuncupatur.

Prima species eorum est qui, quoad omnes operas suas, in perpetuum ab hero pendent et proprie *servi* dicuntur. Sed cum haec servitus perfecta (ut aiunt) feliciter inter christianas gentes abolita sit, non est quod de his dicamus.

Altera species complectitur illos homines liberos qui operas suas ad certum tempus alicui ditioni locant, in cujus etiam domum et quasi familiam recipiuntur. Nuncupantur proprie *famuli domestici*.

Tertia tandem species est hominum pariter liberorum qui operas quidem suas ad certum tempus alius servitio addicunt, praesertim ut ipsi in arte quadam vel industria cooperentur, non recipiuntur tamen in ejusdem domum vel familiam. Hi proprie vocantur *opifices* seu *operarii*.

Utriusque famulorum speciei hodie vigentis relatio cum dominis oritur e contractu locationis operarum (n. 642). Quare praecipua officia quae inter illos mutuo intercedunt ad justitiam pertinent, et commodius explicabuntur in tr. de Praec. Part. (Vol. II. n. 22 seqq.) Nihilominus falsum est illa, adimpleto utrimque fideliter contractu, penitus absolvi. Nam inter dominos et famulos, etiam hodiernos, exstat aliqua relatio superioritatis et inferioritatis, a qua necessario aliqua peculiaris officia utrimque gignuntur. Haec tamen eo minora sunt quo magis restringitur dependentia in qua, vi contractus, legum civilium et morum vigentium, famuli erga dominos constituuntur. Ita leviores obligationes sunt heri ad operarios quam patrisfamilias ad famulos domesticos ; pleraeque etiam, si debita justitiae excipias, mere negativae sunt, ut ex infra

dicendis patebit. Sedulo quoque cavendum ne indiscriminatim nostris famulis vel operariis applicentur ea quae in S. Scriptura (ex. gr. Eph. VI, 5; Tit. II, 9) de servis proprie dictis leguntur, vel ab antiquioribus theologis de famulis scribuntur: quoad singula enim videndum est num forte mutata temporum ratio applicationem impediverit.

**355. ASSERTA. I. Famuli domestici et, remissione gradu, etiam operarii dominis suis exhibere tenentur:**

1° *Reverentiam* tamquam capiti familiae vel officinae. Huc faciunt ea quae universim de observantia erga personas in dignitate constitutas habet S. Th. (2. 2. q. 102. a. 1): "Sicut carnalis pater particulariter participat rationem principii, quae universaliter invenitur in Deo, ita etiam persona quae, quantum ad aliquid, providentiam circa nos gerit, particulariter participat proprietatem patris: quia pater est principium et generationis et educationis et disciplinae et omnium quae ad perfectionem humanae vitae pertinent; persona autem in dignitate constituta est sicut principium gubernationis respectu aliquarum rerum: sicut princeps civitatis in rebus civilibus, dux autem exercitus in rebus bellicis, magister autem in disciplinis, et simile est in aliis."

2° *Obsequium*, quod huc redit ut contractum inquit fideliter impleant, secundum leges civiles et loci consuetudines. Nam famuli vel operarii ad nullum aliud obsequium obligantur nisi quod necessarium est ut pactum a se inquit rite impleatur, operam suam praestando juxta heri directionem, sive in cura rei familiaris, sive in alio quocumque labore.

Cetera eorum officia nihil peculiare habent et ex aliis locis satis declarantur, puta ne secreta domestica, cum heri sui infamia, divulgent, ne heri bona absque ejus consensu, saltem rationabiliter praesumpto, sibi usurpent aliisque tribuant, etc.

**356. II. Heri erga operarios, magis etiam erga famulos domesticos, tenentur:**

1° Non tantum observare justitiam commutativam (n. 645 seqq. et Vol. II. n. 23), sed et *caritatem*. Hinc monet eos Leo XIII (Encycl. de cond. opif.): "Non habendos mancipiorum loco opifices: vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Illud vero turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris quam quantum nervis polleant viribusque." Hinc peccant qui asperere operarios tractant, eorum querelas audire detrectant, inferiores officiales a quibus male tractantur compescere vel remove neglegunt, etc.

2° Abstinere ab iis quae opificibus *in bonis animae vel corporis nocent*. "Non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebris-

que peccandi, neque ullo pacto a cura domestica parcimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis quam vires ferre queant, nec id genus quod cum aetate sexuque dissideat." (Encycl. cit.) Hinc graviter peccant qui, majoris lucri faciendi causa, operarios moraliter cogunt ad genus laborum quod, ex. gr. ob veneficas materias tractandas, sanitati plurimum nocet; similiter qui non remove famulum vel operarium qui morum corruptela vel impietate aliis gravi scandalo est; qui utrumque sexum sine cautelis promiscue laborare cogunt, etc.

3° Habere rationem *religionis et bonorum animi* seu "efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex." (Encycl. cit.) Tenentur ergo opificibus vel famulis suis opportunitatem concedere ut, absque difficultate, christiani hominis officia implere queant, ex. gr. assistentiam Sacro, annuam confessionem et communionem, quietem diei Dominicae et festorum. (n. 336, 5°)

4° *Correctionem fraternam* exercere erga delinquentes. Crebrius autem ad id tenentur erga famulos vel operarios quam erga alias personas, propter speciale vinculum et inde natam majorem efficaciam correctionis ad delinquentis emendationem. Cura tamen spiritualis ipsis, etiam erga famulos domesticos, non incumbit. (Sanch. Cons. mor. l. 5. c. 1. d. 17) Deinde a correctione facienda quandoque excusantur domini ob grave incommodum. Nam viros liberos non ex justitia, sed ex sola caritate corrigere tenentur, caritas autem cum gravi incommodo non obligat. (Sporer. Th. Mor. t. III. in 4. Praec. Dec. n. 103) Tale incommodum plerumque non aderit in corrigendis peccatis quae palam in ipsa domo vel officina committuntur, ut sunt blasphemiae, turpia colloquia, etc.; non raro occurret in corrigendis aliis vitiis, ex. gr. ancillae amasium extra domum quaerentis, operarii a Sacro audiendo abstinentis, etc. Nam saepe, praesertim in civitatibus, operarii et famuli vel ancillae profitentur se nolle heris suis subjacere nisi ad quaedam determinata opera peragenda, in rebus autem conscientiae suae manere independentes. Ideo momentibus dominis saepe resisterent, et, cum gravi incommodo, dimittendi essent. Haec de stricta obligatione: patet enim plurimum suadendum esse ut nulli famuli domestici recipiantur vel servantur nisi christianis moribus praediti.

5° *Succurrere in necessitate positus*. Haec obligatio, nisi in contractu exprimitur vel lege civili imponatur, e sola caritate oritur, ideoque regulis de eleemosyna datis (n. 218 seqq.) determinanda est. Sed advertendum est caritatem eo strictius obligare quo artius cum aliquo jungimur. Ideo facilius aderit officium succurrendi famulis vel operariis, praesertim diuturnis obsequiis cum hero constrictis, quam aliis gravi necessitate laborantibus. Ita saepe jubebit caritas herum opem ferre operariis quos, forsitan ob justam causam, ad tempus dimittat, vel

qui aliter, occasione industriae in qua eum adjuvent, gravem inopiam patiantur. Ex ipsa enim condicione hodiernae industriae, speciatim e maxima laboris divisione et officinarum amplitudine, fit ut operarii diurni arta necessitudine cum hero suo constringantur: quare si ab eo dimittuntur, praesertim maximo numero in iisdem locis, saepe nullatenus vel nonnisi aegerrime et maxima salarii imminutione operam suam apud alios locare valent. Cfr. De Gryse, De contractu conductionis, p. 55. Verum ubi diu, puta per menses et annos, hujusmodi subsidia tribuenda forent, ut contingit pro operariis famulisve ob morbum, vulnus vel senium laborando imparibus, sola caritas tantum onus imponere nequit: quare, si aliunde necessitatibus horum miserorum non satis succurritur, seu propter languentem caritatem, seu propter ingentem operariorum numerum, legis civilis erit iisdem providere, servatis naturalis aequitatis regulis. Atque haec de stricta obligatione dicta esse patet: cujus limites multum excedere solent qui vera christiana caritate aguntur.

Stipendium autem integrum solvendum est famulo qui per modicam tantum partem temporis ad quod operas suas locavit, puta unum alterumve diem per mensem, aegritudine ab implendis laboribus suis impeditus est: id enim non tantum suadet aequitas, sed, propter universalem consuetudinem, tacite in contractu inito continetur. Si vero iidem per notabile tempus aegrotarent, merces eis pro rata temporis impediti diminui posset: nam operas conducens non est censendus se obligasse ad solvendam mercedem pro tempore quo uti opera personae conductae non potest, ob impedimentum quod tantum ex parte illius personae se tenet. At operariis diurnis merces juste detrahitur pro rata temporis, etsi uno aut altero die aegrotent. (Reiffenst. in lib. 3 Decr. t. 18. nn. 99 et 104)

## CAPUT V.

## DE OBLIGATIONIBUS PRINCIPIUM ET SUBDITORUM.

**357.** Multa sunt, ut per se patet, specialia officia eorum qui aliquam civilis potestatis partem detinent. His fuse exponendis supersedebimus, quia eorum determinatio potius ad Philosophiam moralem vel Jus Canonicum publicum pertinet. Plurima etiam e variis partibus Theologiae Moralis definiri possunt, ex. gr. justitia in legibus ferendis et tr. de Legibus, in bello indicendo et dicendis de quinto praecepto Decalogi, in officiis publicis conferendis et tr. de Just. et Jure, etc.

**ASSERTA. I.** Subditi, iis qui civilem potestatem detinent, *amorem, reverentiam et obsequium* praestare debent: siquidem et civilis auctoritas a Deo venit, licet persona detinentis a populo designetur. Id e multis S. Script. locis eruitur, ex. gr. Eccli. XVII, 14: Rom, XIII, 1-7; et egregie exponitur in Encycl. Litt. Leonis PP. XIII, *Diuturnum*. (29 Junii 1881)

Hinc legitimae potestati rebellare non licet, ut patet ex damnatione Prop. 63<sup>ae</sup> in Syllabo Pii IX: "Legitimis principibus oboedientiam detrectare, immo et rebellare licet." Cfr. S. Th. de Regimine Principum, l. 1. c. 6. Attamen, ut bene observat Lehm. (l. n. 797) aliud est rebellare, aliud iniquis legibus earumque executioni resistere. Nam ubi vis aperte injusta infertur ab iis qui legitimam potestatem detinent, id "simile est violentiae latronum... et ideo, sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere, in tali casu, malis principibus: nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur." (2. 2. q. 69. a. 4) Saepe haec resistentia activa erit illicita, quia, ob vim praevalentem, nullus bonus effectus sperari poterit, sed majora mala sequentur.

Quanta autem sit obligatio singularum legum civilium breviter dictum est n. 141, et de pluribus, ut de legibus, tributorem, militiae, etc. exponitur infra, praesertim in tr. de Just. et Jure.

**358. II.** Si gubernium postulat *juramentum* quod rei pravae approbationem continere videatur, hoc numquam praestare licebit, si obsequium postulatum ex adjunctis *communiter* habetur ut approbatio rei malae vel injustae. Exemplum habes in famoso juramento fidelitatis Constitutioni civili cleri Gallicani. Si vero, ex adjunctis vel restrictionibus adhibitis, approbatio illa removeri potest, licebit quandoque juramentum praestare, legitimam oboedientiam auctoritati debitam unice intendendo. Ceteroquin hujusmodi quaestio solet adeo implexa esse ut omnino necesse sit ad auctoritatem episcoporum vel etiam S. Sedis recurrere; eo vel magis quod in tali argumento uniformem praxim postulat Ecclesiae bonum.

Speciatim, quod ad *juramentum fidelitatis hodiernis Constitutionibus* praestandum pertinet, Ecclesia illud permittere solet sub duplici condicione: prior est, quod illa approbatio sit *mere civilis*, non theoretica, praesertim pro tolerantia omnium cultuum et ceteris laesionibus jurium Dei et Ecclesiae, quae in Constitutione forte reperiantur; posterior, quod *salvum sit jus Superioris*, i. e. Dei et Ecclesiae. Haec posterior restrictio in quibusdam regionibus expresse addenda est; in aliis, ut in Belgio, cum jam satis omnibus pateat quo sensu viri catholici jurent, subintellegi potest. Ita praestitum juramentum, ut summum dicam, est